

privationem usus rationis sine causa inducit; malitia vero alcoholismi in eo potius consistit quod frequens usus bibendi alcoholicos liquores grave detrimentum sanitati importat. Sub hac consideratione determinanda est ejus malitia.

Thesis

Alcoholismus seu habitus frequenter bibendi alcoholicos liquores, etiam sine ebrietate, prohibetur a lege naturali, et est vitium temperantiae virtuti oppositum, ideoque aliquid intrinsece malum.

Prima pars

Lex naturali obligat ad vitam servandam ideoque prohibet quidquid laedit integritatem corporis, et sanitati notabiliter adversatur. Atqui alcoholismus, seu habitus frequenter bibendi liquores alcoholicos, etiam sine ebrietate, notabiliter sanitati adversatur, prout ex recensitis effectibus ejus appetet. Ergo alcoholismus a lege naturali prohibetur.

Secunda pars

Omnis habitus, inclinaus hominem ad utendum alimentis contra rectae rationis praescripta, est vitium temperantiae oppositum, ideoque aliquid intrinsece malum. Temperantia enim est virtus quae inclinat hominem ad cibaria capienda cum moderatione a recta ratione praescripta, quae